

906. Hinc liquet, cur omni saeviori pleuritidi peripneumonia superaccidat? cur senibus, puerperis, gravidis, plerumque lethalis? cur thoracis per fasciam adstrictio adeo dolorem levet, ut morbum tolerabilem reddat?

## PARAPHRENITIS.

907. Si morbus pleuritidi similis occupat eam membranae Pleurae partem, quae diaphragma ambit, vel & ipsum Septum medium, oritur morbus dirus, quem Paraphrenitidem appellant.

908. Qui longe frequentior, quam vulgo quidem censetur, licet praesens saepe ignoretur, negligatur, vel alterius morbi titulo tractetur.

909. Cognoscitur ex febre acutissima, continua; dolore inflammatorio loci intolerabili ob membranas nervosas; qui dolor immaniter augetur in inspiratione, tussi, sternutatione, repletione stomachi, nausea, vomitu, compressu abdominis in alvo, vel urina reddendis; respiratione hinc sublimi, parva, celeri, suffocativa, quiescente abdome, solo thorace peracta; delirio perpetuo; hypochondriorum introsursum revulsione; risu sardonio; convulsione; furore; gangraena.

910.

910. Exitus idem, ut in pleuritide (884. 892. 895. 897. 899.), sed ob motum partis magnum & assiduum, ob necessitatem ad vitam, ob nervosas membranas tensas, omnia velociora, funestiora; & Ascites hinc purulentus.

911. Curatio hinc easdem distinctiones & cautelas requirit, tum eadem ferme remedia, exceptis iis, quae loci situs respuit. Clysmata mollia ob viciniam loci saepe juvant.

912. Ubi vero suppurato diaphragmate prius inflammato, abscessus in cava abdominis ruptus suum pus evomit, fit collectio ejus in abdomen, aggestio, putrefactio, tumor, viscerum exesio, tabes miserima, mors.

913. Estque totum hoc malum insuperabile, licet cognitum.

### HEPATITIS, ET ICTERUS MULTIPLEX.

914. Ut viscera & partes, de quibus ha-  
ctenus, ita Hepar quoque in-  
flammationis capax; licet raro de eo co-  
gitetur, & forte etiam non ita frequens sit  
ob arteriae hepaticae parvitatem, & mi-  
norem impetum sanguinis Venae Porta-  
rum.

O 5

915.